



Universitätsbibliothek Paderborn

**Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D.
Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac
Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas
Missalis Et Breviarii Romani**

Adiectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindelicorum, 1740

VD18 10783695-002

Præfatio Benevolo Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39775

P R A E F A T I O

BENEVOLO LECTORI.

I post breve Gavanti ad Lectores Monitum, in quo de secundi Tomi, Operisque sui conditione, atque utilitate doctè ille, eleganterque prælocutus est, longiori Præfatione, Lector Benevole, te onerarem, otio meo, ac patientiâ tuâ abuti viderer. Paucis igitur te expediam, nisi is sis, cui etiam pauca molestiam afferant. His Gavanti Commentariis, Rubricarum Breviarii Romani Textus, quos ille prætermisit, nos suis locis addendos existimavimus: congruum quippe visum fuit, & Rubricas ipsas, & earundem Rubricarum explanationes Lectorum oculis unâ subjecere; quamquam non eum hic ordinem sint habituræ, quem habent in fronte Breviarii: servatam etenim à Gavanto methodum inverttere non debuimus, quod incommodum vitari non poterat, si nativam Rubricarum dispositionem sequi placuisset. In nostris Observationibus præclarissimi Auctoris vestigiis, quantum licuit, adhæsimus, ejus placita pro virili nostra defendimus, & ab eo nusquam, nisi vi veritatis adacti, recessimus. Cùm id faciendum fuit liberè quidem, sed non petulantiter est factum, Veritas siquidem fidenter loqui debet, at etiam modestè. In eruendis Sacrorum Rituum antiquitatibus, in perscrutanda ipsorum origine, in explicandis Rubricarum Legibus prolixiores Gavanto sèpè fuimus, non quòd illo etiam doctiores simus; sed quòd major nobis, quàm illi lux, & copia documentorum affulserit; nempe Gavanti ævo nondum nati erant Bona, Thomasius, Menardus, Mabillonius, Achérius, Martene, Fronto, Guyetus,

Grancolas, Bislus, Bonartius, Caracciolus, Magius, Perficus, Hal-
den, Lohner &c. quorum summis laboribus factum est, ut tot tan-
taque nunc habeamus monumenta Rubricis, & Breviarii Ritibus il-
lustrandis aptissima. Si tam præclara opera Gavanti ætas dedisset,
qualem, Deus Bone, Sacrorum Rituum Thesaurum nobis vir peri-
tissimus reliquisset. Fecimus ergo, quod ille haud dubie facturus
erat, dum in ejus Thesaurum tam pretiosas merces invehimus; et si
(quod ingenuè fatendum est) non ea doctrinæ copia, non eo eru-
ditionis delectu facimus, quo ipse fecisset. Vale.

*Facultas Reverendissimi Patris Præpositi Generalis Congregat. Clerico-
rum Regularium.*

Hoc opus, nimirum *Noyas Observations, & Additiones, &c.* factas à P. D.
Cajetano Maria Merati nostræ Congregationis Theologo, Commentariis
Adm. Reverendi P. D. Bartholomæi Gavanti Congregat. Cler. Regul. S. Pauli in
Rubricas Missalis, & Breviarii Romani, à Patibus, quibus commisimus, appro-
batas, typis mandari posse, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quo-
rum fidem præsentes literas manu propria subscripsimus, & solito nostro Sigillo
firmavimus. Romæ die 21. Sept. 1735.

D. Nicolaus Antinori Præpositus Generalis Cler. Regular.

Loco \ddagger Sigilli.

D. Joannes Franciscus Cagnola C. R. Secretarius.

I M P R I M A T U R.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Philippus Spada Episc. Pisauren. Vicesgerens.

I M P R I M A T U R.

Jo. Benedictus Zuannelli Ord. Præd. Sacri Palatii Apost. Magister.

INDEX

